

**Discours de Fabius à Paul-Emile, pour le mettre en garde
contre la témérité de son collègue, Terentius Varron.**

1^o — *Embarras que Varron suscitera à Paul-Emile.*

Si aut collegam (id quod mallem) tui similem, Luci Æmili, haberes, aut collegæ tui similis essem, supervacanea essem oratio mea. Nam et duo boni consules, etiam me indicente, omnia e republica fideque vestra faceretis; et mali, nec mea verba auribus vestris, nec consilia animis acciperetis. Nunc et collegam tuum, et te talem virum intuenti mihi tecum omnis oratio est; quem video nequidquam et virum bonum et civem fore, si altera parte claudicet respublica.

Malis consiliis idem ac bonis juris et potestatis erit. Erras enim, L. Paule, si tibi minus certaminis cum C. Terentio, quam cum Annibale, futurum censes: nescio an infestior hic adversarius, quam ille hostis, maneat. Cum illo in acie tantum, cum hoc omnibus locis ac temporibus certaturus es: et adversus Annibalem legionesque ejus tuis equitibus ac peditibus pugnandum tibi est; Varro dux tuis militibus te est oppugnaturus. Ominis etiam tibi causa absit C. Flaminii memoria: tamen ille consul demum, et in provincia, et ad exercitum cœpit furere: hic, priusquam peteret consulatum, deinde in petendo consulatu, nunc quoque consul, prisquam castra videat aut hostem, insanit. Et, qui tantas jam nunc procellas, proelia atque acies jactando, inter togatos ciet, quid inter armatam juventutem censes facturum, et ubi extemplo verba res sequitur? Atqui, si hic (quod facturum se denuntiat) extemplo pugnaverit, aut ego rem militarem, belli hoc genus, hostem hunc ignoror, aut nobilior alius Trasimeno locus nostris cladibus erit.

2^o — *Il n'y a qu'un moyen de vaincre Hannibal, c'est de temporiser.*

Nec gloriandi tempus adversus unum est; et ego, contemnendo potius, quam appetendo, gloriam, modum excesserim.